



BOCKENBERG,

CENTURIA.

16.ª PARS 2.


BO







Fol. 4707

491.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK TE 'S-GRAVENHAGE

Handschrift No. 131 A 2 IX

inhoud:	is geraadpleegd door:	in het jaar:	zie:
Bockenberg	Arn. v. d. Laar	11-3-1952	
Centuria 16a	W. H. Epker	11-3-1952	
Pars 2a	Ds. J. J. Kalma (pamflet tussen fol. 445 en 446)	April 1953	
	P. Valkema Blouw	30. VII. 1976	
	D. Vrehe	8-8-1983	
	E. Jorink	18-8-1992	
	C A M Maanleveld (pamflet 1057)	5. 6. 98	

6192 - '33

DE CLADE EXERCITVS PHILIPPI REGIS HISPANIARVM AD VICVM Turnhoutum in Brabantia IX. calend. Februarij, anno a Christo nato M. D. XCVII. Claraq; victoria obtenta ductu Illustris Principis Mauritij Nassouij, auspicijsq; Illustrissimorum Ordinum generalium confœderatarum prouinciarum Belgij vera Narratio.





EPITHALAMIVM GENEROSI COMITIS AB ALTA FLAMA, ALIAS Hohenlohe, ex percelebri Ostrofrancorum familia oriundi, atque Illustrissimæ Principis Mariæ Auraicæ Comitis Buranæ, &c.

QVis nouus hic strepitus vel quis concursus ad aulam?
Quæ noua lætitiæ cernere signa datur?
Conuenit heroum, Procerum, Comitumque caterua,
Heroinarum longaque pompa coit.
Summe Deus, Rex omnipotens, sapientia cuius,
Summa regit mundum, quidquid & orbis habet:
Ex nihilo qui cuncta creas, qui cuncta tueris,
Summi principium, fons & origo boni.
Te voco, te imploro, te postulo te precor vnum,
Fœdera coniugij sint rata quæso noui.
Te sine coniugium cœptum durabile non est,
Durat ad extremum te sine nullus amor.
Ille torus sanctusque Deo, rectusque feretur,
Vera fides, verus quos benè iunxit amor.
Venit festa dies toties in vota vocata,
Ciuibus illa bonis sæpè vocata venit.
Ciuibus vna salus ex hac optata pependit,
Aduentus tardi sed mora longa nimis.
Ambigui ciues nam speque metuque steterunt,
Ipsis gaudendi nullaque causa fuit.
Vt sperat metuitque simul iam filia coniunx,
Desponsata viro, quæque locata diu.

 Cunctari

Cunctari renuit, quando ſemel hauſit amorem.
Gaudia quæ differt tædia longa vocat.
Optat adeſſe ſuoque viro ſe iungere geſtit,
Et noctem votis anticipare cupit.
Haud ſecus hic ciues agitantur & impetus vrget
Omnes, hac illac ſollicitoſqúe trahit.
Ignari quæ quis faciat, quæ ſigna relinquat,
In gratum obſequium lætitiæ inſolitæ.
Primus adeſt Satrapes, celebris mox ordo Senatus
Tendit in occurſum, poſt nunerosa cohors.
Vndiquè viſendi ſtudio iuuenumqúe ſenumque,
Gaudia quiſque parat, virque puerque ſalit.
Attollunt vultus, clamore altoqúe ſalutant,
Vulgus io magna voce triumphe ſonat.
Fit ſtrepitus, magni plauſus, celebreſq; triumphi,
Omine cum fauſto feſta Hymenæa canit.
Felix ergo dies, & terqúe quaterqúe vocata,
Hacque ſalutifera eſt Bura beata die.
Bura erit hac multis multo præſtantior oris,
Huius erit nunquam maius in orbe decus.
Nam Comiti Comes ipſa datur ducẽda Philippo,
Dia Maria viro nobilitate pari.
Cuius clara domus Flamma reſplendet ab Alta
Ceu Phœbi toto ſplendet in orbe iubar.
Oſtro francorum genitus de ſtirpe vetuſta,
Vnius vt numeres ſæcula plura domus.
Qui procul à patria Belgæ pereuntis amore,
Bella gerens ſæuis hoſtibus vltor adeſt.
Principis Auraici in cunctis ſeu fidus Achates,
Auſpicijs paribus bella cruenta gerens.
Illi morigerus, conſtans, ſemperque fidelis,
Quæ perſpecta ſuis hoſtibus vſque ſatis.
Carole Quinte tibi quod Maximus Aemilianus
Buranus tanti nominis ille Comes:
Hoc tibi magnanimus magna virtute Philippus,
O Gulehelme ſuo præſtitit obſequio.
Cui non impunis quiſquam fuit obuius hoſtis,
Haſta ſeu feriat, ſeu rotet enſe truci.
Quàm dextra hoſtili multos proſtrauit Iberos,
Pro vero quenquam dicere poſſe nego.

Quos-

DE CLADE EXERCITVS PHILIPPI REGIS HISPANIARVM AD VICVM Turnhoutum in Brabantia IX. calend. Februarij, anno a Christo nato M. D. XCVII. Claraq; victoria obtenta ductu Illustris Principis Mauritij Nassouij, auspicijsq; Illustrissimorum Ordinum generalium confœderatarum provinciarum Belgij vera Narratio.



Quos non vel minimo conspectu contudit hostes,
Vt folia à magno turbine verna cadunt.
Carmine quis laudes, vel quis sua facta perenni,
Exprimat? extollat? pro meirtisqúe vehat?
Carmine qui cupiunt heroica facta referre,
Hì numerent cœli sydera stelliferi.
Sed semel vt dicam se clarum gessit vbique
Principem, & heroem, magnanimumq; ducem.
Præstitit & sese talem, quod facta per ipsum
Mirentur, stupeant, hostis & omnis amet.
Subsidium cuius fere perdita Belgia sensit,
Nam procul à nobis barbarus hostis abest.
Nec minor intereà est præclaræ gloria sponsæ,
Cæsaribus proauis ædita Nassauijs.
Heroîdas inter qua sæcula nulla priorem,
Nec post quæ venient cernere posse dabunt.
Nam penes hanc vnam est quod habet natura deco (ris,
Mores, fama, decus, gratia, candor, honos.
Cui gemini rutilant ceu cœli sydera ocelli,
Vndè suæ pharetræ spicula traxit amor.
Cana fides, risus hilares, moresqúe pudici,
Virgineus roseo qui sedet ore pudor.
Pluraq; cum possem nihil hic modo plura referre
Expedit, hoc satis est singula sola tenet.
Tamqúe aliâs superat comites, quàm Lucifer ortu,
Præcellit radians astra minora suo.
Mentibus hanc omnes lætis, plausuqúe secundo,
Hanc omnes, nutu, lumine, voce probant.
A teneris annis mendacia quæqúe perodit,
Et veri custos vera secuta fuit.
Dogmata Pontificis iamdudum falsa reiecit,
Prisca, & Apostolicè tradita scripta colens.
Audit & in templo doctos attenta ministros,
Nil habet & vera Relligione prius.
Extitit Ecclesiæ membrum compluribus annis,
Participem cænæ se faciens Domini.
Huic pater Auraicus Princeps clarissimus, atque
Præclaro mater sanguine nata fuit.
Quem seruatorem patriæ, patremque vocare,
Iure decet, mundi fabrica donec erit.

Hiſpano ſiquidem Belgas tutatus ab omni,
Vitam pro patria impendit & occubuit.
Cuius adhuc mortem fere tota Hollandia luget,
Luget adhuc merito quilibet vſque pius.
Quid queror? incipiã mortis renouare dolorem
Principis? at præſtat conticuiſſe mihi.
Præſtiterit quoqꝫ pauca loqui, quam ſingula verſu
Non benè compoſito velle referre meo.
Nam mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Non foret in verſus apta Thaleia meos.
Principe, ſit ſatis hoc, quod nil magis orbe relucet
Illius & celebris fama perennis erit.
Illius & frater Mauritius inclita cuius,
Fama volat, nullo conſicienda die.
Qui iuuenis ſuperat ſenſu factiſque peritos
Multa ætate viros, militæque Duces.
Cuius iam plures poſſis numerare triumphos,
Annos quàm vitæ quot tenet ille ſuæ.
Quo Duce militiæ, belliqúe grauamina malis,
Quam dubiæ pacis conditione frui.
Quã fore progeniem credis? quã ſurgere prolem,
Tali coniugio? quæ decora alta domus?
Quæ genus eximium per ſe, virtutibus ornet,
Stemmate condecoret, fulciat, exuperet.
O, me felicem ſi veſtræ ſemina ſtirpis,
Qua nil maius erit cernere poſſe datur.
Sed vide quã pulchro Comitũ, Procerũq; caterua,
Ordine ſeptus adeſt Sponſus ab hoſte vacans.
Quam phaleris clipeiſqꝫ nitens, qùam torquibus
Exornata cohors ad ſua feſta venit. (aurêis,
Quos claros mittit diues Germania, iuncta
Sanguine pars Sponſo, pars quoqꝫ Sponſa tibi.
Virginei ſpeculum ſexus, ſuffuſa pudore,
Sponſa genas thalamum mox ſubitura venit.
Heroïdas inter caſtiſſima, nempè Dianam
Nympharum mediam dixeris eſſe Deam.
Dixeris hanc ſpecimen viuum probitatis honeſtę
Hancqúe pudicitiæ dixeris eſſe decus.
Quid referam quanto ſeu Regia tecta paratu,
Cuncta nitent? quanta ſplendeat arte domus?

Ornatus

DE CLADE EXERCITVS PHILIPPI REGIS HISPANIARVM AD VICVM Turnhoutum in Brabantia IX. calend. Februarij, anno a Christo nato M. D. XCVII. Claraq; victoria obtenta ductu Illustris Principis Mauritij Nassouij, auspicijsq; Illustrissimorum Ordinum generalium confœderatarum provinciarum Belgij vera Narratio.



Ornatus tantus, vel tantus splendor vbique,
    Splendidius fieri quod potuisse negem.
Ornatu tanto, tanto connubia cætu,
    Post homines natos vix celebrata puto.
Instructas miro videas hic ordine mensas,
    Artificique manu fercula lauta dapes.
Dixeris esse Iouis cerebrum, mensasque Deorum,
    Nectar, & Ambrosiam, Lac Venerisq; simul.
Hic nihil obmissum est quod tellus, pontus & aër
    Proferat, atque homines exhilarare queat.
Quę benè disposita in mensis, quā dulce videre est,
    Dulcius, his mensis accubuisse simul.
Ergo quisquis ades, præsentibus vtere lætus,
    Qui famet & comedit dum datur ille sapit.
Vanus nempè pudor vacuo ieiunia ventre,
    Dum quo te saties sit, tolerare diu.
Qui sapit, è multis sibi quod sapit hoc sibi sumat,
    Siuè Ceres cordi, siue Lyeus erit.
Hæc duo si desint, vultus quis sumat amenos,
    Lætaque qui moueat gaudia nullus erit.
Quarè erit auxilium priùs implorare necesse,
    Sinceraque Deus mente rogandus erit.
Sanctificare sui dignetur Spiritus ore,
    Quæ vobis plena sunt data dona manu.
Pro quibus immensis debetis dotibus omnes,
    Laudibus atque odis magnificare Deum.
Intereà explentur dum viscera, dumque Lyeus,
    Exhilarat mentes, dumque leuata fames:
Instrumentorum genus omne, & Musica partes,
    Perficiat vario carmine & arte suas.
Nam velut inclusus splendere Pyropus in auro
    Cernitur, in mensa Musica Dia nitet.
Singula quid referam, non nostri carminis ordo
    Postulat, hic versu cuncta referre meo.
Forsitan alter erit plectro meliore paratus
    Stemmata, virtutes, qui tua Sponse canat.
Sed satis est nobis adventum Principis huius,
    Pectore propenso testificare meo.
O fortunatos ciues sub Principe tali,
    Cuius ope in placida viuere pace datur.

Subdita ſincero qui pectora vincit amore,
Eſt vt ament pulchrum cui mage, quã metuant.
Si quid habent pondus ſapientis verba Platonis,
Ingens præſidium ciuibus inde venit.
Principis ornabit quando ſapientia mentem,
Vel Sophiæ fultus munere ſceptra tenet.
E contra, verè ſunt infelicia Regna,
Publica res pueris quando regenda datur.
Hanc Deus ob cauſam Sophiæ legumq́ue peritos,
Tradidit huic orbi, præpoſuitq́ue viros.
Quo videant turpi ne quidquam cedat honeſtum,
Iuſtus ab iniuſto non patienda ferat.
Defendant viduas pueroſq́ue parentibus orbos,
Ne cauſa iuſta vi ſuperante cadant.
Innocuos erga mites, nocuoſq́ue ſeueri,
Aequa librantes cuiq́ue bilance ſua.
Deniq́ue cuncta ſuo tueantur ſubdita Regno,
Iura miniſtrantes ciuibus æqua ſuis.
Omnia tam ſtrictè legum præcepta tenentes
In minimo nequis tranſgrediatur ea.
Vt populos tandem cœleſti iure gubernent.
Enſe malos plectant enſe bonoſq́ue iuuent.
Bura caput reliquas inter nunc exeret vrbes,
Principe ſit tali cum fruitura patre.
Eia igitur Comitis celebretur fama Philippi,
Flamma domus late ſplendeat Alta ſuæ.
Quin video, belli ſi quando incendia ceſſent,
Quanta iuuentutis cura futura ſuæ.
Vt peragant laudes Domini Comitiſq; frequẽtes,
Moribus & ſtudijs quos ſchola noſtra fouet.
Hanc operam Rector nauabit ſedulus, vnde
Speret munifici Principis ipſe manum.
Nunc viuas valeaſq́ue diu clariſſime ſponſe,
Et Nelei ſuperes tempora longa ducis.
Sampſon vt immanem beluam virtute ſuperna,
Sic ſuperes hoſtes Marte Philippe tuos.
Nunc viuas valeaſq́ue diu Clariſſima Sponſa,
In quarto videas ſemina veſtra gradu.
Iudith vt infenſo virgo caput abſtulit hoſti,
Sic pereant hoſtes Dia Maria tui.

Viuite,

DE CLADE EXERCITVS PHILIPPI REGIS HISPANIARVM AD VICVM Turnhoutum in Brabantia IX. calend. Februarij, anno a Christo nato M. D. XCVII. Claraq; victoria obtenta ductu Illustris Principis Mauritij Nassouij, auspicijsq; Illustrissimorum Ordinum generalium confœderatarum provinciarum Belgij vera Narratio.



Viuite, vosque suo genitrix Aeneia cesto
Iungat & æternis nexibus Alma duos.
VIVIte ConCordes, Vos oMIne VIVIte faVsto,
Et CresCat Vester proLe feraCe torVs.
Quæ fragiles annos vobis querulosque dolores
Morbosi senij turba minuta leuet.
Insuper & tremulos foueat ac leniat artus,
Postea quos gelida contumnulabit humo.


Generosæ & inclitæ clemẽtiæ vestræ sub missus minister Gysbertus ab Amerongẽ Traiectinus scholæ Burensis præfectus.

Ad candidum Lectorem tetrastichon.

Dente Theonino videor mihi cernere multos,
Carmina qui rodant qualiacunque mea.
Haud moror irrisus sannas, sarcasmata, morsus,
Rodere dum viuum dente vel ore sinant.

FINIS.

TRAIECTI.
Apud Reinerum Wylichium
Anno 1595.



9:16

486

DE CLADE EXERCITVS PHILIPPI REGIS HISPANIARVM AD VICVM

Turnhoutum in Brabantia IX. calend. Februarij, anno a Christo nato M. D. XCVII. Claraq; victoria obtenta ductu Illustris Principis Mauritij Nassouij, auspicijsq; Illustrissimorum Ordinum generalium confœderatarum provinciarum Belgij vera Narratio.



Knuttel 976 (2e ex.)

9:15

WAERACHTICH

Verhael / ende ghe-schiedenisse vanden loosen aenslach / den welcken den Byarnois aengerecht heeft op de Stadt vā Atrecht / den 27. Meert 1597. ende hoe hy miraculeuselijckē van daer met schanden heeft moeten vertrecken.



Knuttel 968

Knuttel 975 (2e ex.)

Gheprint Thantwerpen / by my Anthoni de Ballo op ons lief Vrouwen Kerckhof onder den Thoren / inden gulden Sampson.

M. D. XCVII.

27 Mart

233